

290

288

294

sicut prope Ulmam supra Blaubüren infra villam Syssen est Labyrinthus satis intrabilis in montis penetralia per longum spatium, ubi quidem primus introitus patens specus est, et deinde, dum in tenebras ad rupis parietem ventum fuerit, per foramen et antrum strictum serpendo ingredi oportet, sicut serpens antrum suum ingreditur, et dum intus ventum fuerit, longo, alto et latu transitu in rupe usque ad finem venitur, ubi est dispositio, ac si aliqua ibi fuisset habitatio. Bina vice inductus fui in specum illum per religiosos patres ordinis S. Benedicti de Blaubüren ad mirandum Dei occulta opera.

O si poetae veteres scivissent hunc specum, quam statim locum alicujus fictionis invenissent aut dixissent esse locum Nymphaeum, aut habitationem Musarum, aut labyrinthum a Daedalo constructum, aut specum a Venere factum, ad quaerendum in eo Adonidem amasium suum, et plangendum non inventum in ea. Dicunt enim Cynaram regem Cypri pulcherrimum habuisse filium, eujus amore capta Venus ubique eum sequebatur per silvas et montes, tandem autem eum perdidit, quia ab apro dilaceratus fuit; (B) quo percepto, nimio moerore afflita lucem sufferre non valens in montium speluncas commigravit, clamans, ejulans et deflens suum Adonidem, omnes etiam se colentes ad celebrandum fletum Adonidis in speluncis induxit, unde successu temporis per mundum ubique fuerunt consecratae speluncae Veneri ad planctum Adonidis. Nec evasit spurcitiam illius ritus specus sacratissima nativitatis Domini Jesu, qui ultra centum et nonaginta annis consecrata stetit Adonidis planetui, sicut dicit Hieronymus in Epistola ad Paulinum: Bonus homo etc. Sic et alii mundi specus insignes. Nonnulli etiam specus et cavernas ac terrae scissuras inturpant ad responsa quaerenda a Demagorgone et ad divinandum, ut supra dictum est fol. 157.

Est insuper in hac insula specus illa, in qua Epigenides philosophus dormivit 75 annis continue. Nam ut dicitur de vita Philosophorum, cum juvenculus esset missus a patre ad custodiam ovium, declinans autem in quoddam antrum, obdormivit per tot annos, surgens autem postea quaesivit oves parumper se dormivisse aestimans, non inventis autem ovibus ingressus civitatem omnia mutata mirabatur, et neminem sibi notum, etiam in paterno domo, invenit, nisi fratrem, quem infantem reliquerat, jam senem,

284

299

279

339

239

389

189

Ende

Anfang

